

ex supposito quod parvulis nequeat conferri sufficientia in voluntate propria, inde magis commendetur abundantia, universalitas et suavitas misericordiae divinae: 3<sup>o</sup>. quia id est conforme providentiae divinae alias nobis manifestatae; cum Deus ab initio gratiam nobis conferendam commiserit voluntati unitis hominis, per cujus praevagationem omnes mortui sumus; et nunc etiam mandarit unicuique de proximo suo; ac omnis dispensatio mysteriorum Dei, quoad externa, etiam pro adultis pendeat a voluntate hominum, qui libere annuntiant Evangelium, aliaque administrant, et juvant vel e contra impediunt.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p. S. PROSP. vel quicumque auctor, a GELASIO in opusc. cont. Pelagian. tanquam Magister Ecclesiae sapientissimus laudatus, L. 2. de voc. Gent., postquam c. 20. contra voluntatem Dei salvandi omnes proposuisset sibi objectionem ab exemplo infantium sine baptismo morientium deductam, eandem c. 23. dissolvit his verbis: Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem, quae semper universis est impensa nationibus, qua utique, si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvantur. Omnium namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiae, sub arbitrio jacent voluntatis alienae, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest: et consequens est illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto vel pravo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credunt. Et cum ipsi nec praesentis vitae desiderium habuerint nec futurae; quam ipsorum factum est nasci, tam ipsorum efficitur non renasci. Sicut autem circa majores, praeter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio.* Ex his, praeter apertam et saepius repetitam confirmationem partis prioris, manifeste asseritur pars altera; quia agitur 1<sup>o</sup>. de infantibus etiam necdum natis, qui proprie dicuntur *paucorum dierum homines*, cum jam homo dicatur infans intra uterum maternum animatus: 2<sup>o</sup>. de baptismo infantium, qui ex aliena confessione *credunt* et aliorum facto renascuntur: 3<sup>o</sup>. de bono usu sive gratiae generalis, sive vocationis specialis ex parte parentum praestando, quem utilitas infantium excipiet.

*Conf. S. AUG. in Enchir. c. 46. ait: Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiler dicitur. Illa quippe divina sententia (Exod. 34. 7.) Reddam peccata patrum in filios, tenet eos utique, antequam per regenerationem ad testamentum novum incipiant pertinere. Ergo ex mente S. Doctoris probabile est parvulos ita obligari parentum peccatis, ut ipsorum ratione moriantur antequam perveniant ad remedium salutis vel baptismum; tum quia in hujus probationem adducit illam Exodi sententiam: tum quia in fine, ubi explicat quare dicamur concepti in peccatis, subjungit: In illo uno, quod in omnes homines pertransiit, atque tam magnum est ut in eo mutaretur et converteretur in necessitatem mortis natura humana, reperiuntur plura peccata; et alia parentum, quae, etsi non ita possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia et misericordia divina subveniat. Ergo parentibus potest dici data sufficientia saltem negativa ad filiorum*

baptismum, quatenus si non peccassent parentes, opportunitatem habuissent applicandi parvulis baptismum: atque hinc facilius a nobis potest dari ratio, cur juste subinde Deus infligat punitiones integris communitatibus, quibus contingit etiam parvulos extinguere in utero, qualis illa fuit Num. 31. et 1. Reg. 15. Amalecitarum et aliarum gentium.

*Prob. 3<sup>a</sup>. p. Quia Scriptura frequenter nos hortatur ad orandum etiam pro aliorum salute, hujusque orationis utilitatem commendat, ut 1. ad Tim. 2. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri etc. Item in ep. Jac. 5. 16. Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua. Vid. hic Corn. a Lap. et alios.*

*Conf. tum ex probabilissima Theologorum sententia, quam illustrat SUAR. Tom. 2. de Relig. L. 1. c. 27. statuente, quod oratio etiam facta pro alieno bono spirituali sit infallibilis illius impetratio, dummodo aliquas conditiones habeat ex parte orantis, et hanc unam ex illius, pro quo oratur, ne scilicet ipse resistat vel ponat impedimentum: tum ex Scripturae historiaeque Ecclesiasticae exemplis, quibus comprobatur vel ipsam parvulorum nativitatem vel vitam eorum ad remedium salutis obtinendum precibus parentum vel aliorum esse impetratam.*

*Dixi 1<sup>o</sup>. a voluntate maxime parentum; quia sicut magistratibus mandatur a Deo cura tum infantium tum mediorum ad eorum salutem, et viris Apostolicis ac praedicatoribus Evangelicis inspiratur desiderium annuntiandi et applicandi remedium peccati originalis, imo omnibus fidelibus divinitus immittitur excitatio ad orandum universaliter pro omnibus; ita ab eorum voluntate dependere parvulorum salutem prudenter credimus, cum humanitus loquendo videantur plurimi parvulorum fuisse perituri, si illi aut mandato aut inspirationi divinae non obsecundassent. 2<sup>o</sup>. Ut praesertim per orationem illis consulant; quia ex modo dictis positiva sufficientia potest etiam dependere ab aliis actibus virtutis, imo et a bono libertatis usu; negativa vero a defectu quocumque morali, ut supra ex Augustino colligere licet.*

*204. Nec dicas 1<sup>o</sup>. S. PROSP. in operibus, quae sine controversia illi tribuuntur, videtur contrarius. Nam 1<sup>o</sup>. in Resp. ad obj. 1<sup>am</sup>. Vincent. dicit, eos, qui baptizati non sunt, in aliquo sensu esse redemptionis alienos, nec ad redemptionem pertinere, nisi ea tantum ratione, quoniam Deus pro una generali causa totius generis humani mortuus praecipit omnibus ejus passionem applicari. 2<sup>o</sup>. in Carm. de ingrat. c. 29. ait: Nec meritis istud poteris aptare parentum; cum videas multos sanctis genitoribus ortos nullo salvari studio potuisse suorum; ergo. Conf. Idem in Lib. 2. de voc. gent. c. 22. quaerens, quare Deus non provideat remedium quod possit infantibus in utero morientibus applicari, recurrit ad inscrutabilia Dei judicia; et c. 24. id fieri statuit vel in peccati originalis poenam, vel ad ostendendam gratiae baptismalis gratuitatem; ergo.*

*R. N. ASS. Ad 1<sup>um</sup>. D. Et his vocibus declarat parvulos non pertinere ad redemptionem in actu secundo et quoad efficaciam C. non pertinere ad redemptionem in actu primo et quoad sufficientiam N. subjungit enim: Redem-*

ptionis proprietas haud dubie penes illos est, de quibus princeps hujus mundi missus est foras; ubi τὸ proprietas locutionem ad sensum explicatum limitare debet, ut propositio hæretica de morte Christi prædestinatis duntaxat impensa devitetur.

Ad 2<sup>um</sup>. D. Quod salventur parvuli, nequit tribui parentum meritis naturalibus C. supernaturalibus subd. quatenus nec hæc merita sunt mediata et ultima ratio discretionis, nec necessaria et unica mensura electionis C. quatenus nequidem immediata et per modum conditionis libere assumpta ratio existimari queant N. S. Doctor hic agit contra *Semipelagianos*, qui causam discretionis prædestinati a non prædestinato principaliter, imo unice repetebant a libero hominis arbitrio; ideoque cum ostendisset, exemplo parvulorum, quod imprimis ex eorum conatu ac opere non dependeat, ut unus præ altero baptizetur; postea declarat nec id meritis parentum naturalibus aut cuiuscumque etiam studio supernaturali esse tribuendum, sed soli voluntati divinæ, quæ ita congruenter ac efficaciter res ordinat, ut hic et non ille baptizetur: quod quidem intentum suum aperte explicat in fine illius testimonii L. 2. de voc. gent.

Ad Conf. R. Merito S. PROSPER recurrit ad inscrutabilia judicia Dei pro ratione, cur Deus non providerit remedium congruum et efficax parvulis in utero morituris; cum hoc multis aliis providerit, et peccatum originale sit omnibus commune. Quamvis enim immediata ratio hujus discriminis detur quod illorum parentes non sint cooperati sufficientiæ in favorem parvulorum concessæ, redit nihilominus difficultas, cur illis parentibus Deus dederit sufficientiam incongruam et inefficacem; aliis autem, forte impiis et sceleratis, contulerit congruam et efficacem in filiorum favorem, vel aliter efficaciter disposuerit, ut baptizarentur. Circa hanc vero difficultatem non alius exitus patet nisi recurrendo ad inscrutabilia Dei judicia; unde et S. AUG. L. de don. persev. c. 9. n. 21. ait: *Ex duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; et ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* Simili ratione intelligendum est, quod ex c. 24. de punitione peccati originalis est additum; quia peccatum originale non est ratio negandi simpliciter sufficientiam, sed tantum negandi sufficientiam congruam, ex mente S. AUG. docentis Deum interdum adultis etiam negare gratiam congruam in pœnam peccati originalis.

203. *Nec dicas* 2<sup>o</sup>. S. AUG. aperte contrariatur. Nam 1<sup>o</sup>. in L. de don. persev. c. 12. n. 31. inquit: *Plerumque festinantibus parentibus et paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur.* 2<sup>o</sup>. Idem L. de nat. et gr. c. 8. ait: *Parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Christi baptismum subveniri, morte preventum idcirco talem fuisse, id est sine lavacro regenerationis exiisse, quia esse aliud non potuit.* Ergo non est tribuendum parentum negligentiae, quod parvulus sine baptismo moriatur; sed quibusdam parvulis applicare baptismum est impossibile.

R. N. Ass. Ad 1<sup>um</sup>. D. Non datur baptismus Deo nolente voluntate antecedente N. voluntate consequente non usum collatæ sufficientiæ C. Res patet

in exemplo peccatoris adulti, qui in pœnam non boni usus libertatis incidit in amentiam perpetuam. Nec obstat quod festinent parentes et parati sint ministri; quia juxta nos Deus potentiam proximam conferendi baptismum non alligavit præcise huic festinationi, sed bono usui præhabitæ libertatis, quem nos absolute determinare non possumus. Præterea S. AUG. hac sententia non intendit probare quod nullo modo hic casus tribuendus sit parentum negligentiae: quia paulo ante hæc dixerat: *Neque parentum negligentiae sic tribuendum est, quod parvuli sine baptismo moriantur, ut ibi nihil agant superna judicia;* ergo supponit negligentiae parentum aliquid tribuendum, ita tamen ut et tribuatur agere judiciis Dei; hæc vero plurimum agunt in nostra etiam sententia, nempe per illam discretionem principalem et ultimam.

Ad 2<sup>um</sup>. D. Esse aliud non potuit impotentia remota et antecedente N. impotentia proxima et consequente non usum sufficientiæ collatæ parentibus vel aliis in favorem parvuli C. Nempe Deus ab æterno decrevit dare genitori vel alteri personæ inspirationem vel libertatem ad aliquid exequendum vel omittendum, ea tamen lege, ut bonum usum illius libertatis sequeretur *infallibiliter* talis dispositio causarum naturalium, ut per eas non staret quin parvulo applicetur baptismus: secus autem foret, si non bene uteretur illa libertate. Hoc supposito illa libertas est potentia *antecedens* ut causæ naturales sic vel aliter occurrant, et est potentia remota applicandi parvulo baptismum: at vero semel supposito non bono usu illius libertatis, talis est causarum naturalium dispositio, ut quæcumque diligentia adhibeatur a parentibus aut ministris, non possit applicari baptismus; solus Deus per miraculum, ad quod non tenetur, dare potest opportunitatem applicandi baptismum.

206. *Nec dicas* 3<sup>o</sup>. In hac sententia interdum confertur baptismus ex parentum meritis, et negatur ex eorum demeritis: sed hoc nequit conciliari cum doctrina S. AUG., cujus præcipuum argumentum pro existentia peccati originalis contra *Pelagianos*, et pro prima gratia ex Dei misericordia non vero ex meritis proveniente contra *Semipelagianos* infirmaretur; ergo.

R. 1<sup>o</sup>. D. 1<sup>um</sup>. p. M. In hac sententia parvulis confertur baptismus ex parentum meritis naturalibus N. ex meritis gratiæ et supernaturalibus, iisque duntaxat de congruo, quia pura creatura communius dicitur, in hac providentia non mereri aliquid alteri de condigno *Tr.*; tum quia ad hoc ut dicatur sufficientiam *remotam*, pro baptismo parvulis morientibus conferendo, dependere a voluntate aliena, non requiritur ut qui baptizantur, pervenerint ad baptismum mediante hujusmodi sufficientia *remota*; cum Deus potuerit ipsis providere potentiam *proximam* independentem ab illa: tum quia sufficientia *remota* potest esse pure negativa, et naturalis libertas vitandi peccatum vel aliud quodcumque, physice causans abortum vel impediens baptismi potentiam; quo casu baptismus nec ex meritis, nec ex impetratione confertur.

R. 2<sup>o</sup>. N. min. De 1<sup>a</sup>. p. liquet ex modo dictis; de 2<sup>a</sup>. autem, nempe quod parvulo subinde negetur baptismus ob parentum demerita, ex SCRIPT. et S. AUG. constat; ubi tamen parvulus formaliter damnatur propter peccatum originale, occasionaliter autem duntaxat ob parentis demeritum, sicut

adultus, cui ob peccatum veniale negata est gratia congrua, ob illud non formaliter sed occasionaliter solum damnatur.

*Ad prob. N. utr. p. S. Aug. contra Pelagianos* sic probat peccatum originale: parvulus, qui consequenter non potuit baptizari, excluditur a regno caelorum; ergo propter peccatum: sed non propter peccatum personale; ergo propter originale. Hoc vero argumentum intactum relinquit nostram sententiam, qua occasionaliter tantum dicimus excludi parvulos a regno caelorum ob parentum peccata. *Semipelagianos* ita aggreditur: nullis praecedentibus meritis arbitrii naturalis vel demeritis in parvulis, huic datur, alteri negatur gratia baptismi; ergo Deus per gratiam discernit praedestinatum a non praedestinato: sed hoc iterum non tangit assertum, quod enuntiat sufficientiam applicandi baptismum a parentum bono vel malo usu libertatis dependere, multo minus vero illud de actibus parentum vel aliorum per gratiam elicitis.

207. *Nec dicas 4<sup>o</sup>.* Quamvis voluntas Dei salvandi omnes aequae extendatur ad parvulos ac ad adultos, nihilominus Deus *adultis* dat sufficientiam *positivam et supernaturalem*; non autem ita agit in favorem omnium parvulorum; ergo non obstante illa voluntate universali, potest etiam intervenire hoc discrimen, quod *adultis* conferat media salutis cuilibet intrinseca, parvulis vero praecise providerit de medio extrinseco scilicet baptismo, quin vel in voluntate aliena posuerit ejus applicabilitatem. *Conf. 1.* Gratiae sufficientis collatio, etiam in *gentilibus*, non dependet ab usu bono vel malo libertatis; quia alias se viribus propriis saltem negative disponere possent ad gratiam; ergo nec applicabilitas seu sufficientia ad applicandum baptismum ab eo dependere potest. *Conf. 2.* Ex nostra sententia sequeretur, quod parentes et alii tenerentur sub gravi culpa ad exquisitam diligentiam pro parvulorum salute; maxime autem ad fundendas orationes, ut illi ad baptismum perveniant: horum autem *primum* pandit ostium infinitis scrupulis; et *secundum* nec fideles exercent, nec monentur ab Ecclesia; ergo.

*R. N. Cons.* Ex voluntate salvandi omnes recte probatur sufficientia, sed solum aliqua, sive ea sit *positiva* aut *negativa*, sive *proxima* aut *remota*, quia, quacumque ex his concurrente, salus ponitur in voluntate creaturae, ita ut per Deum non stet quominus creatura salutem non consequatur: unde sequitur 1<sup>o</sup>. si ne quidem in voluntate aliena daretur sufficientia pro parvulis et potentia applicandi illis baptismum, nec in Deo dari voluntatem seriam circa eorum salutem: 2<sup>o</sup>. autem, non requiri eandem sufficientiam pro parvulis, quae convenit *adultis*. Caeterum quod *adultis* detur sufficientia *positiva et supernaturalis*, probatur partim ex auctoritate, partim ex possibilitate orandi et observandi praeccepta supernaturalia: contrarium de *parvulis* patet tum ex eo quod hi non sint capaces recipiendi gratiam actualem in seipsis: tum quod sufficientia pro his posita sit in opportunitate conferendi baptismum, quae nihil in se continet supernaturale, supposita aliunde baptismi institutione. Hinc vero intelligi potest qua ratione quaelibet libertas naturalis possit dici sufficientia ad salutem parvuli; nempe quatenus illius usus vel negative vel positive efficit, ut infans superstes in vita servetur, aqua et caetera requisita adsint, vel alio quocumque modo opportunitas applicandi baptismum fiat.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>. R. N. Cons.* *Disparitas* est 1<sup>o</sup>. quia gratia sufficientis reipsa datur omnibus *adultis* etiam *gentilibus*, ut patet ex prop. 5<sup>a</sup>. ab Alex. VIII. damnata; ergo ejus collatio non dependet a conditione aliqua, sed confertur absolute: e contra opportunitas baptismi parvulis applicandi reipsa non datur omnibus; ergo ejus collatio recte dicitur dependere ab aliqua conditione: hæc vero non tenet se ex parte solius Dei; quia in eo est voluntas salvandi omnes: neque ex parte causarum naturalium, ut nuper probatum est: nec ex parte ipsorum infantum, ut per se patet; ergo ex parte causarum liberarum, maxime *parentum*, ut in responsione dictum est. 2<sup>o</sup>. Quia gratia sufficientis est donum in se ac vere supernaturale; ergo supra ordinem naturae et cujuscumque meriti vel dispositionis naturalis: e contra sufficientia ad baptismum applicandum nihil in se est supernaturale, ut dictum est proxime.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>. R. N. Seq.* Quamvis enim certum sit nostram praedestinationem posse dependere ab usu divinae inspirationis ad faciendum aliquid leve bonum, vel ad vitandum peccatum veniale; item licet probabilissimum sit omnes, per se loquendo et praescindendo a circumstantia particularis necessitatis, teneri ad orandum pro proximis in communi, eamque orationem, abstrahendo etiam a nostra sententia, habere satis certum effectum pro salute aliorum: tamen ex primo non sequitur, nos sub gravi culpa teneri ad *exquisitam diligentiam*; nec secundum debet ab Ecclesia proponi fidelibus; ergo idem ex simili dicendum est de sequelis ex nostra sententia deductis. Accedit 1<sup>o</sup>. quod Deus ita velit nostrae et parvulorum saluti consuere, ut neminem conjiciat in anxietates et scrupulos; quae ratio Theologis familiaris est ad excusandum fideles, quando timor mali vel peccati secuturi est circa personam vel actionem indeterminatam: 2<sup>o</sup>. quod, dum pii parentes orant pro felici partu, implicite orant ut parvuli ad baptismum perveniant: idem fideles omnes petunt in oratione Dominica per illa verba: *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*; uti a *SUAR.* Tom. 2. de Rel. L. 3. c. 8. explicatur: 3<sup>o</sup>. quod sententia hæc nostra non sit certa, neque sufficientiam ad actum singularem aut modum orationis certum determinet; adeoque exigi non possit ut ab Ecclesia fidelibus proponatur.

## ARTICULUS IV.

AN ET QUALIS IN PROVIDENTIA DEI SUPERNATURALI DETUR PRÆDEFINITIO ACTUUM BONORUM CREATORUM?

208. *Nota.* *Prædefinitio* est decretum seu voluntas, qua Deus antecedenter ad creaturae liberae determinationem absolute praeviam, ab aeterno positive, absolute et efficaciter decrevit, ut ab eadem creatura aliquis actus bonus fiat in tempore. Differt a *Prædestinatione*, quod hæc sive mediate sive immediate intendat gloriam, illa autem praecise ac pure intendat actum bonum, abstrahendo nempe an gloria absolute sequatur, necne. Dividitur in *formalem*, quae etiam intentio finis vocatur, et est voluntas Dei efficax, qua actus bonus ipse in se directe et immediate intenditur: et in *virtualem*, quae et electio